

26  
dixi: Et ubi visitabo eum: Et dixit gabriel. In loco ubi est. Et ad  
duxit mihi iumentum maius quidem asino: minus autem mulo:  
& nomen eius Elmparac: & dixit mihi: Ascendere hoc: & eq  
ta usque ad domum sanctam. Cumque curarem ascendere: aufugit iu  
mentum: Dixitque ei: Sta firmiter: Mahometus enim est qui vult te  
ascendere. Et respondit iumentum: Nunquid pro eo missum  
sum: Respondit Gabriel: utique. Et dixit iumentum: Non per  
mittam eum ascenderre: nisi prius rogauerit deum pro me.  
Ego autem intercessi pro iumento apud deum meum: ascen  
ditque ipsum: & ambulabat me insidente tenui gressu: Collo  
cabatque unguam pedis in orizonte visus fui: Et sic veni in  
domum sanctam in minori spacio quam quantum oculi ictus per  
fici posset. Erat autem Gabriel mecum: & duxit me ad rus  
pem in domo sancta Hierusalem: & dixit mihi Gabriel: Des  
cende: quoniam ab hac petra ascendes in coelum. Et descen  
di. Et gabriel ad rupem iumentum Elmparac cum cingulo lig  
gavit: & portauit me in humeris suis usque ad coelum. Cumque  
venissemus ad coelum: pulsauit ianuam Gabriel: dictumque  
fuit ei: Quis es? Respondit: Ego sum gabriel. Dictumque fuit  
rursus ei: Et quis est tecum? Respondit Mahometus. Dixit  
autem ianitor: Nunquid pro eo missus fuisti: Et dixit Gabrie  
el Etiam Et aperuit nobis ianuam. Et vidi gentes angelorum:  
& bis flectens pro eis genua/effudi orationem. Et post hec ce  
pit me Gabriel: & duxit me ad secundum coelum. Erat autem  
spacium horum duorum coelorum: iter quingentorum anno  
rum. Et quando primum pulsauit ianuam/responsio facta est ei secundum  
omnia similis: usque ad septimum coelum. In quo septimo coe  
lo describit se vidisse populum angelorum. Prolixitas unius  
cuiusque angeli multo milies mundo maior erat: quorum quis  
que habebat septingenta milia capitum: & in quolibet capite  
septingenta milia ora: & in quolibet ore mille septingentas  
linguas: laudantes deum septingentis milibus idiomatibus.  
Et aspexit unum angelorum flentem: Et quesiuit causam flet  
us eius. Et respondit se peccatum esse. Ipse autem orauit pro  
eo. Sicque inquit / Gabriel commendauit me alteri angelo: &  
ille alio: & sic deinceps/ quosque steti coram deo & tribunali eius.